

SYMBOLICVM  
DIGITORVM VSVM  
EXPENDIT

---

SIMVLQVE  
AD  
EXPLORATIONEM DISCENTIYM PVBLICAM  
IN  
GYMNASIO FRIDERICIANO

D· XVIII MARTII AC POSTRIDIE INSTITVENDAM

NEC NON

AD  
AVDIENDAS ORATIONES IN ACADEMIAM  
MISSIONE FACTA ABITVRORVM  
PERILLVSTRES ATQ· EXCELLENTISS  
SANCTIORIS SENATVS PRAESIDEM SPLENDIDISSIMVM  
CETEROSQ· EPHOROS NOSTROS FAVTORES  
ET AMICOS

PRO CVIVSVIS DIGNITATE AC ORDINE OBSERVANDOS

INVITAT

M· FRIDER· NIC· VLRICH

GYMNAS· FRIDER· DIR

---

RVDOLPHOLI  
LITTERIS HERED· LOEWIANOR·

Hist. Saxon.

606, 62<sup>H.</sup>

Sax. 707

SYMBOLICVM

DIGITORVM VRSVM

EXPLICIT

AD

EXPLORATIONEM DISCRETIVM PVBLCAM

GTMNASTIO ERIDERICIANO

IN

MDCCCLXXX

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

ET ALIOS

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA

AD PUBLICANDAM

AD PUBLICANDAM IN ACADEMIA



**H**aud quicquam inter tot potentiae ac sapientiae diuinae opifi-  
 cia, quae sub adsp̄ctum cadunt, maiorem admirationem  
 affert, quam stupenda illa humani corporis fabrica, omni-  
 umque membrorum non incredibilis modo decor et pul-  
 critudo, sed et talis congruentia atque aequalitas, quam  
 nemo mortalium omni mentis acie assequi ualet. Quocirca non imme-  
 rito delirare uidentur, qui corpori humano omnem negant dignitatem,  
 illudque a brutorum corporibus nihil prorsus differre, contendunt, neque  
 hoc saltem expendunt, a Deo hominem erecta corporis statura, uultuque  
 in sublime uerso, formatum esse, ut ille supra cetera animantia, toto cor-  
 pore ad caelum et in humum proiecta, coelestia spectaret, rerumque su-  
 pernarum contemplationi uacaret. Quantum uenustate, opportunitati-  
 bus atque habilitatibus figura hominis reliquas res animatas excellat, co-  
 piosius poterat demonstrari per singula ipsius membra eundo, quorum

\* 2

uuum-

unumquodque suam praestantiam, ex multiplici usu ac fine metiendam, loquitur, summiq[ue] opificis inenarrabilem sapientiam facit claram testatamque. Equidem haud diffitendum, aranearum digitos, tenerrimos, ac aegre oculis cernendos, tam miro artificio ad praedam capiendam telam contexere, quam dexterrimae hominum manui imitari non datur. Numquid uero illi aequae, atque humani digiti, ad litteras pingendas, ad alia reticulata, et quae sunt amplius, opera perficienda sunt accommodati. En, quantum humanum, uel intuitu digitorum, corporibus brutorum antecellat. Quo factum, ut, quemadmodum ab aliis corporis humani partibus, ita et potissimum a *digitis* uariae loquendi formulae sint petitae, atque in scriptis ueterum passim obuiaae, quae longe aliud significant, quam proprium uerbis domicilium est, *usumque* sic habent *symbolicum*. Quem uero ad eo rectius uarios dicendi modos intelligendos latini sermonis iunioribus cultoribus, quantum paginae angustia capit, nunc ostendere exemplis animus est. Absit tamen, eorum ut putidas ineptias uel leuiter attingamus, qui, quid longiuseculi, breuiore, crassiores et reflexi, in hominis manu iudicent digiti, fronte perfricta hariolari haud erubescunt (a). Haec enim crepundia nugiuendulis potius, ac chiromantiae amatoribus, male curiosis, otioque diffluentibus, relinquenda sunt.

Primordia ergo argumenti pertractandi capienda erant a locis biblicis, in quibus humano loquendi more Deo passim digiti tribuuntur, adde, quod ipse Spiritus S. *Digitus Dei* in hymnis sacris appellatur (b). Verum enim uero cum ex *Glassii Philologia S.* aliisque Rhetoricis sacris, satis superque planum sit, *Digitum Dei* esse symbolum uirtutis Dei, nullis limitibus circumscriptae, ac per Spiritum S. efficacissimae ad hominum pectora emendanda, atque in melius transmutanda, satis trita, deciesque repetita, non uidebantur recoquenda. Nec locus hic erat diuertendi ad fora, eorumque ritus, qui sollemnes sunt in animis hominum ad persancte deierandum obstringendis, peruestigandi. Tantum in apri-co est, *erectionem trium digitorum* in dando iureiurando esse signum *Dei Trimumius in personis*, utpote qui solus tanquam testis et uindex inuocatur.

(a) p. 40. in der Anleitung zu den curioesen Wissenschaften.

(b) No. 159. v. 4. No. 251. v. 2. im Rudolft. Gesangb.

tur. Si quid aliud iudiciorum consuetudo hac in parte requirat, id Iuris-  
peritis altius repetendum relinquimus, iique uiderint, quid maiores per  
uarium digitorum usum in sacramento, apud Iudicem dicendo, consilii  
habuerint, et quorsum spectarint.

Progredimur nunc potius ad *digitum annularem*, qui proximus est  
minimo, cuique, quod constat, *annulus pronubus* inferitur. Si quaera-  
tur ergo, unde tanta excellentia et dignitas huic digito nascatur, et qui  
eiusdem sit usus symbolicus, et medici quidam, haud ultimae cauae, et  
alii nonnulli, licet adhuc sub iudice lis sit, hanc responsionem in nume-  
rato habent. Quod in primis negotiis, inquit Isidorus Hispalensis *an-  
nulus a sponso sponsae datur, fit hoc nimirum uel propter mutuae fidei  
signum, uel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda iungantur.  
Vnde et quarto digito annulus idem inferitur, quod in eo uena quaedam,  
utfertur, sanguinis ad cor usque perueniat. Eandem rationem apud Gel-  
lium rededit Apion, scilicet, in seclis apertisque humanis corporibus, re-  
pertum esse neruum quendam tenuissimum, qui ab eo digito ad ima cordis  
penetret, propterea non inscitum uisum esse, eum potissimum digitum tali  
honore decorare, quod continens et quasi connexus cum principio cordis  
uideretur. Quid alii aliter, ac secus, hanc in rem sentiant, uberius le-  
gi potest in Petri Muelleri disputatione de Annulo pronubo (c). Quem  
praeterea latet, in Arithmeticis digitos esse signa numerorum, multosque  
iis feliciter uti pro numeris in computando, aut pretium rei alteri indi-  
cando. Apud Oratores approbationis, narrationis, et distinctionis, sym-  
bolum sunt quidam digitorum. Id quod Fabii, optimi Actionis orato-  
riae magistri, uerbis edocemur, Pollici, scribentis, proximus digitus,  
mediumque, qua dexter est, unguem pollicis summo suo iungens, remissis ce-  
teris, est et approbantibus, et narrantibus, et distinguentibus, de-  
corus. Cai non dissimilis gestus, sed compressis tribus digitis, quo nunc  
Graeci plurimum utuntur, etiam utraque manu, quoties enthymemata sua  
gestu uelut cornu tundunt caesim (d).*

\* 3

Vs

(c) p. 18, 19, 20. Th. IX.

(d) in Institutionibus Orator. p. m. 836.

Vt tandem loquendi rationes, a digitis humanis petitaе, ne relinquantur intactae, primo loco tenendum, officium humanitatis non neglectum, per digitum innui, in trito illo apud Ciceronem, *Digitum intendere ad fontem*. Cuius prouerbii sensus non est, rei originem ostendere, quod non nemo opinatur, sed qui in rebus innoxiae utilitatis, manu quasi alterum ducit, promptusque humanitatis officia praestat, ille intendit digitum ad fontem. Solebant enim quondam aduenae, qui aquaturni ibant, obuios percontari de fonte. Si quis ergo, quod humanitatis erat, illum non monstraret, mille ab Atheniensibus configebatur execrationibus, teste Tullio (e) *Anatura*, idem inquit, (f) *ut omnium rerum, quas ad communes hominum usus natura genuit, seruetur communitas, quale est, monstrare uiam, quae communis est omnibus, ignorantibus non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, et similia*. Speciatim uero Pollex, cui tanta uis inest, ut solus reliquis digitis et prodesse, et obesse, queat, multis in dictionibus, ut odii, sic fauoris, nota est. Sic pollices praecisi (g) Aeginetarum odium Atheniensium atque inuidiam declarabant, id quod non minus ex simili exemplo in Libro Iudicium (h) patet. Pari modo Pollicem uertere est improbare alterius facta, eumque odio persequi. Quin immo conuersus pollex, qui gestus est necantis pulices, notabat olim, hunc illumue interficiendum uideri. Hinc illud Poetae, (i)

— — et uerso pollice uulgi  
 Quemlibet occidunt populariter — —

*Pollicem uero premimus*, ubi ex fauore alteri laudem tribuimus, calculumque adiicimus eius conatis. Quam symbolicam loquendi rationem, a digitis petitam excipiat alia, a Cicerone prouerbii loco usurpata. Qui alicuius fidem bonitatemque laudant, scribit (k) *eum dignum esse*, dicunt, *quicum*

(e) L. III. de off. (f) L. I. de off.

(g) Cic. de off. L. III. c. XI. §. 1.

(h) C. I. v. 6, 7

(i) Iuu. 3, 36

(k) L. III. c. XIX, §. 5

quicum in tenebris mices, scilicet digitis. Genus autem lusus erat, maxime apud Italos, haec micatio, digitis repente remotis. Idcirco idem Cicero de diuinatione (l) Quid enim fors. Idem propemodum, quod *micare*, quod talos iacere, quod tesseras. Sensus ergo prouerbii hic est, bonus uir, etiamsi manus eius conspicua non est in tenebris, tamen dicet, quot digitos explicuerit. Vernacula lingua redduntur latina hunc in modum. Est ist ein Mensch, mit welchem du im dunkelen gerad, oder ungerad, spielen kanst, ohne Betrug zu fuerchten. Eandem in sententiam Ciceronis uerba Barbeyrac (m) ita Gallice exprimit, C'est un homme, avec qui l'on pourroit jouer a la moure en pleine nuit. Digni ergo in commemorata dicendi formula, quid aliud sunt, quam symbolum probi, bonaeque fidei, uiri. Relinquitur, ut in extremo uideamus, quid sit *digitis concrepare*, apud eundem Tullium. Si uir bonus, (n) hanc habeat uim, ut, si digitis crepuerit, possit in locupletum testamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur. O candidum Ciceronis pectus. *Concrepare digitis* dubio procul tibi idem est, atque signum leuissimum, nec cuius obseruatum, dare, ut aliquis heres scribatur. Erasmus ad hunc locum haec. *Supini, et quibus loqui non liceret, digitulo crepitantes quidpiam significabant.* Sicuti uero in hoc dicendi genere digiti sunt Symbolum astuti, et ad fraudem compositi, hominis, manuloquio, quid agitet animo, declarantis, ita interdum sunt indicium magnae auctoritatis, ueluti in Christiano II. Electore Saxoniae, quem Daniel Eremita scribit (o) *nutu tantum et concrepitis digitorum articulis locutum esse.* Admirationis signum denique erant digiti quondam ex trito illo Persii, (p)

*Est pulchrum digito monstrari, et dicier, hic est.*

Temporibus autem moribusque mutatis, optimus quisque apud nos uix honori sibi duceret, si praeteriens a prospectantibus e fenestris, uel a praetereuntibus, digito monstraretur.

Sed

(l) et Libr. II. de Fin.

(m) in Praefat. ad Pufendorffium p. 17

(n) L. III. de off. c. XIX, §. I.

(o) in itineraio German. 1702. a Graeuio edito

(p) Satyr. I. v. 28. Plinius Ep. 23. L. IX. Horat. L. IV. Od. 4.

Sed filum hic abrumpendum est, ueniendumque ad id, cuius causa hoc, quicquid est argumenti, praemisimus. Diuinis, *Serenissimique Patriae Patris*, LVDOVICI GVNTHERI, auspiciis contigit nobis etiam huius anni uerno tempore *Lustrationem publicam* iuuentutis litteratae in Gymnasio nostro suscipere. Quo igitur adolescentes, iique, qui ultimum Vale dicturi sunt (\*) beneuolis auribus auditi ad maiora subinde excitentur, Procere nostros, reique scholasticae consulentes, ceterosque Patronos ac Fautores, audientiam clementem ac propitiam exoramus. Scribebam Rudolphipoli, ad d. V. idus Martias A. S. R. CIOIDCCCLXXI.

- 
- (\*) I. AVG. ABRAHAM. VLRICH, Polilm. non inuita, quod aiunt, Minerva, imparatusque a progymnasmatibus, ad iurisprudentiae culturam sese accingens, *de quorundam inconsiderantia parentum, qui filios, uix in lucem editos, litterarum culturae, aut alii cuidam uiuendi generi, deuouent, ore teutonico disseret.*
- II. IO. GVIL. NIC. FROSCH, Leutenberg. ingenii maturitatem, ac bonarum artium cognitionem haud poenitentem, in Academiam proferens, lingua patria causas expendet, ob quas in tanta librorum copia, qui de moribus hominum emendandis praecipunt, plurimi tamen minus bene morati sint.
- III. IO. MICHAEL WOLLE, Rudolstadt. Aeuo maturus, et in litterarum studio eo progressus, ut ad altiora Musarum castra demigrare possit, *Cur Jesus patiens, ut eius uultum inimici uelarent, concesserit, sermone uernaculo disquiret, si Deus uolet, ut electulo, cui a subito morbo affixus est, surgat.*
- IV. IO. HENR. VOIGT, Teuchellan. laetis litterarum humaniorum fundamentis, altiora iis comode superstruet disciplinae patientem aurem accommodando, *Cur Christus, qui tam praeclare in terris docuit, et tanta miracula, compluribus insipientibus, patrauit, nullum librum, sua ipsius manu exaratum, reliquerit, Quiritium lingua disputabit.*

